

sórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Secreta.

DEUS, cujus misericórdiæ non est númerus. súscipe propítius preces humilitátis nostræ : et animábus fratrum, propinquórum, et benefactorum nostrórum, quibus tui nóminis dedisti confessiónem, per hæc sacraménta salutis nostræ, cunctórum remissionem tribue peccatórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

PRÆSTA, quæsumus omnipotens et misericors Deus : ut animæ fratrum, propinquórum, et benefactorum nostrórum, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ obtúlimus majestáti; per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte recipiant beatitúdinem. Per Dóminum.

*Pro his, qui in cœmeterio
requiescunt,
Oratio.*

DEUS, cujus miseratióne animæ fidélium requiescunt : famulis et famulábus tuis, et ómnibus hic et ubique in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum; ut a cunctis reátibus absoluti, tecum sine fine læténtur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta.

Pro animábus famulórum famularúmque tuárum, et ómnium catholicórum hic et ubique in Christo dormiéntium, hóstiam, Dómine, súscipe benignus oblátam : ut hoc sacrificio singulári, vinculis horréndæ mortis exúti, vitam mereántur æternam. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio.

DEUS, fidélium lumen animárum, adesto supplicatióibus nostris : et da famulis et famulábus tuis, quorum córpora hic et ubique in Christo requiescunt, refrigerii sedem, quiétis

beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per eúmdem Dóminum.

*Pro pluribus defunctis,
Oratio.*

DEUS, cui próprium est miseréri semper et párcere : propitiáre animábus famulórum famularúmque tuárum, et ómnia eórum peccáta dimitte : ut mortalitátis vinculis absolutæ, transíre mereántur ad vitam. Per Dóminum.

Secreta.

Annue nobis, quæsumus Dómine, aut animábus famulórum famularúmque tuárum hæc prosit oblátio : quam immolándo, totius mundi tribuísti relaxári delicta. Per Dóminum.

Postcommunio.

DEUS, cui soli cómpetit medicinam præstáre post mortem : præsta quæsumus ; ut animæ famulórum famularúmque tuárum terrénis exútæ contágiis, in tuæ redemptiόνis parte numeréntur. Qui vivis et regnas.

*Alia pro pluribus defunctis,
Oratio.*

Animabus, quæsumus Dómine, famulórum famularúmque tuárum misericórdiam concéde perpétuam : ut eis proficiat in ætérnum, quod in te speravérunt et credidérunt. Per Dóminum.

Secreta.

His, Dómine quæsumus, placátus inténde munéribus : et, quod ad laudem, tui nóminis supplicántes offerimus, ad indulgéntiam proficiat defunctórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Supplices, Dómine, pro animábus famulórum famularúmque tuárum preces effúdimus, obsecrántes : ut quidquid conversatióne contraxérunt humana, et cleménter indulgeas, et in tuórum sede lælántium constituas redemptórum. Per Dóminum nostrum.

RITUS ABSOLUTIONIS

IN EXEQUIIS PRÆSENTE CORPORE DEFUNCTI.

EX RITUALI ROMANO.

FINITA Missa, Sacerdos, deposita casula seu planeta, et manipulo, accipit pluviale nigri coloris : et Subdiaconus accipit Crucem, et accedit ad feretrum, et se sistit ad caput defuncti cum Cruce, medius inter duos Acolythos seu ceroferarios cum candelabris et candelis accensis : et omnes alii de Clero veniunt ordinatim in gradu suo cum candelis accensis, et stant in circuitu feretri : tum sequitur Sacerdos cum Diacono, et assistente, aliisque ministris, et facta reverentia Altari, sistit se contra Crucem ad pedes defuncti, retro adstantibus ei a sinistris duobus Acolythis, uno cum thuribulo et navicula incensi, altero cum vase aquæ benedictæ et aspersorio, et Acolythis seu Clerico tenente librum, absolute dicit sequentem Orationem :

Non intres in iudicium cum servo tuo, Dómine, quia nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua judiciális senténtia premat, quem tibi vera supplicatió fidei Christiánæ comméndat; sed grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere iudicium ultiónis, qui dum viveret, insignitus est signáculo Sanctæ Trinitátis : Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Deinde Cantore incipiente, Clerus circumstans cantat sequens Responsorium :

Li-be-ra me, Do - mi-

ne, de morte æ-ter - na, in
di-e il-la tre-menda : **Q**uan-do
cœ - li mo-vendi sunt et ter-
ra : **D**um ve - neris ju-
di-ca - re sæ - cu-
lum per ignem. **γ**. Tremens fa-
ctus sum e-go, et ti - me - o,
dum discus-si-o ve - ne-rit, at-
que ven-tu-ra i - ra. **R**e-petitur.
Quan-do. **γ**. Di-es il-la, di-es